

4  
Η Ε Τ Η Ι C Α E  
Η Ε Τ Η Ι C Α E Η Ε Τ Η Ι C Α E Η Ε Τ Η Ι C Α E Η Ε Τ Η Ι C Α E

*Cap. III. De principiis virtutis.*

**V**irtutis consideratio duplex est; generalis & specialis.

2 Generalis est, quæ ex æquo ad omnes virtutes pertinet; estque vel in iis, quæ cum virtute consentiunt, vel in iis, quæ ab eadem dissentient.

3 Quæ consentiunt cum virtute, vel absolute consentiunt, vel modo quodam.

4 Cum virtute absolute consentiunt principia sive causæ, à quibus ea dependet.

SCHOL. Multos invenire est, qui gloriose ac Thrasonicè de suis virtutibus, quas somniant, jactitant, interim quid vera virtus sit, & ex quibus causis oriatur, turpiter ignorant. Multum igitur refert virtutis causas probè nosse, ne falsâ persuasione decipiatur.

5 Virtutis causæ tres occurruunt: Finis, Efficiens & Forma.

SCHOL. Materia propriè dicta nulla est. Virtus enim ex serie illorum accidentium est, quæ materiam propriè dictam non habent. Si quæ illis est assignanda, non nisi in subjecto querenda est. Sunt qui materiam virtutis volunt esse habitum rectæ rationi consentaneum, sed hunc habitum rectius genus quam materiam adixeris.

6 Finis virtutis, cuius gratiâ virtus exercetur, est duplex: Summus, vel Subordinatus.

7 Summus, est divini nominis celebratio.

SCHOL. Notum est quid Theologia doccat de studio bonorum operum, in quem finem illud debet esse di-